Gregorius episcopus servus servorum dei Dilectis filiis Universitati Terre nostre Montissancti Firmanae diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Exigit vestre sincere
fidelitatis et devotionis integritas quam ad nos et Romanam ecclesiam geritis ut petitiones vestras illas presertim que comodum et statum vestrum concernunt ad exauditionis gratiam admitta
mus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat quod vos alias pro subsidio et stipendiis gentium armorum pro custodia provincie nostre Marchie Anconitane que pro tem
pore deputabantur solvere consuevistis annuatim Quingentos florenos auri. Et deinde felicis recordationis Bonifacius papa VIIII predecessor noster propter supervenientes necessitates Came
re apostolice vos coegit ad solvendum Mille florenos auri Annis singulis pro subsidio et stipendiis antedictis. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat Terra vestra in qua erat
numerus Quingentorum focularium seu fumantium vel circa tempore pacis et tranquillitatis erat fertilis et opulenta et vos tunc faciliter supportare poteratis onera su
pradicta propter guerras et mortalitates que in illis partibus viguerunt et maxime ex diris et inhumanis guerris et excidiis vobis factis et illatis per Nobilem virum
Ludovicum de Melioratis militem Valuen diocesis ad tantam paupertatem reducta quod in ea numerus Ducentorum et Sexaginta focularium seu fumantium vel circiter existit et
propterea huiusmodi summam Mille florenorum solvere non potestis pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut huiusmodi summam Mille florenorum ad summam Quingentorum
florenorum duntaxat reducere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur volentes vos ob fidelitatem et devotionem predictas favoribus prosequi gratiosis vobisque pio compatientes affe
ctu huiusmodi supplicationibus inclinati fidelitati vestre quod usque ad Tres Annos proxime futuros huiusmodi summam Quingentorum florenorum auri duntaxat Annis singulis ex cau
sis premissis solvere teneamini et ad solvendum ulteriorem seu maiorem summam usque ad Tres Annos predictos cogi nequeatis muniti auctoritate apostolica tenore presentium in
dulgemus vos nichilominus a solutione aliorum Quingentorum florenorum pro dictis tribus Annis ex certa scientia auctoritate simili absolventes ac etiam liberantes ac mandan
tes venerabili fratri nostro Antonio Episcopo Portuen Camerario nostro necnon quibuscumque officialibus in eadem provincia pro tempore existentibus ne contra vos aut singulares personas dicte
Universitatis contra tenorem huiusmodi indulti aliquid attemptare aut vos ad solvendum aliquid ultra summam dictorum Quingentorum florenorum cogere aut molestare quoquo mo
do presumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino ho
minum liceat hanc paginam nostre concessionis absolutionis liberationis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem
omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Arimini x kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Pro A. de Buato

Jo. de Crivellis

Riduzzione de'
pesi Camerali
da 1000 a 500
Fiorini
Gregorio XII.
n.° 22.° 140/
121